



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
OLEORUM UNGUINOSORUM  
U S U

IN  
MORBORUM MEDELA

QUAM  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
CONSENSU

PRO LICENTIA  
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

LEGITIME OBTINENDI  
DIE VI. JUNII ANNI MDCCCLXXXI.

SOLENNITER DEFENDET

AUCTOR

JOANNES FRIDERICUS PICHLER  
LUDOVICOPOLUS.

H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI

excudebat JOH. HENRICUS HEITZ, Universitatis Typographus.





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICAE  
DE  
OLEORUM UNGUINOSORUM  
U S U

IN  
MORBORUM MEDICA  
DE O

ATQUE

A M I C I S

SACRUM.

AUCTOR

JOHANNES FRIDERICUS PICHLER

LUDOVICOPOLIS


M. D. C. C. C.

IN AUCTORATI

excudit JOH. HENRICUS HEITZ, Universitatis Typographus.







## INTROITUS.



agnam semper de Oleosis observavi inter medicos sententiarum discrepantiam: laudantur ab his, vituperantur ab illis; sed, quoniam sententiarum diversitates pessima quæque, ad nostra usque tempora saluberrimæ arti affricarint, hinc de Oleis & unctuo-  
fis, Dissertationem inauguralem conscribere, diu jam mecum constitui. Denegant vero Dissertationis limites de his pro dignitate agere, hinc, ut B. L. proposita benigna fronte excipiat, oro rogoque.

---

### §. I.

Olea unguinosa sunt substantiæ naturales, plus vel minus fluidæ, inflammabiles, aquæ consortium per se penitus respuentes, alcohole neutiquam solubiles, propriamque Visciditatem habentes. Hæc ex Semini-

A



bus *a*) plantarum, ubi præcipua eorum est sedes *b*), expressionis *c*) ope eliciuntur; hinc & oleorum expressorum nomine veniunt. Et quidquid de his, etiam ad omne piguedinis genus in animalium cellulis hærens applicari velim: sunt enim ejusdem naturæ & indolis, uti infra patebit.

Olea unctuosa ab oleis æthereis, quæ ut plurimum destillando obtinentur, facile distinguuntur, quod hæc volatilia sint, odore fragrantissimo, sapore acri, urente, & aromatico gaudeant, atque in Spiritu Vini dissolubilia. Olea unctuosa ab oleis empyreumaticis differunt in eo, quod illa fere inodora, insipidaque sint; hæc vero proprio quodam odore, saporeque nauseoso nares, linguamque feriant, & destillando *d*) obtineantur; illa denique pellucida, hæc vero profunde tincta sint.

## §. II.

Quæ inter olea unguinosa, destillata, & empyreumatica intercedant differentiæ, §. præcedenti vidimus. Quod vero Oleosa, Olea ex Seminibus, & Nucleis expressa, Pinguedines, Sebum, Adeps, Axungia, Medulla, Butyrum, Sperma ceti, &c. ratione solummodo proportionis partium constitutarum inter se differant, nunc dicendum venit. Varia solummodo acidi ad alias olei partes constitutivas proportio varias ejusdem sistit Species; id quod ex Syncrifi optime apparet. Sebum ex concursu acidi cum oleo in corpore animali generari; & arte quoque olea ope acidi condensari, & ita sebo simillima reddi

- 
- a*) Varia femina, dum prelo subjiciuntur, dimittunt cum oleo unguinoso simul oleum æthereum, quod Spiritus Vini ope auferendum est, ni alios, quam unguinosorum effectus inde expectemus.
- b*) Formicæ enim, nec non Vitelli Ovorum, Oleum expressum quoque largiuntur.
- c*) Subinde & in Aqua coquendo.
- d*) Et quidem destillatione sicca.



posse, monet VOGEL a). Et quod inter pinguedines, in cellulis animalium hærentes, & olea expressa, nulla intercedat differentia, docet EXC. SPIELMANN b). Olea, pinquia, butyrum, per destillationem phlegma acidum largiri, monet cl. MACQUER c). Id quoque in axungia detexit NEUMANN d); præeunte CHARASIO e), qui tam in hominum quam brutorum pinguedine illud deprehendit. Ex sebo cl. FR. CARTHÆUSER f) acidum se obtinuisse asserit. Et quod omnibus oleis expressis acidum, & quidem sat validum insit, quod omnia præter aurum metalla corrodere valet, ETTMÜLLER g) confirmat; id quod jam TACHENIUS in *Hippocrate chemico* h) de oleo communi probavit. Hac quoque ex ratione, ne olea in vasis cupreis retineantur monet erud. RICHTER i). Olea hæc omnia five ex animali, five vegetabili regno proveniunt, cum salibus alcalinis Saponem k) efformant; Sulphur, Plumbum & ejus calces dissolvunt, atque reiterata destillatione ad naturam æthereorum accedunt l). Etiam re-

a) *Inst. chem.* Francof. 1762. p. 14. MACQUER *Dictionn. de Chimie*, ed. 1778. Tom. II. p. 436. J. FR. CARTHÆUSER *de Princip. Specif.* p. 41. 42.

b) *Inst. chem.* ed. 1766. §. LVIII.

c) l. c. Tom. II. p. 433. 441. cui assentit Celeberr. SPIELMANN l. c. p. 222.

d) *Medicinishe Chemie*, IIter Theil, p. 568. ed. Kessel.

e) *Hist. Acad. R. Sc. Paris* 1695. p. 262.

f) l. c. p. 41. 42. conf. quoque Cl. CRELLII *chemisches Journal* Lemgo 1779, IIter Theil, §. 152.

g) *Oper. omn.* ed. 1708. Tom. I. p. 496.

h) *Hipp. chimic.* p. 175.

i) *Præcept. diætet.* Heidelb. & Lips. 1780. Cap. II. Memb. I. Thes. XVII.

k) Spermæ ceti hic exceptionem facit; est enim hæc substantia respectu oleorum unguinosorum, quod camphora respectu oleorum æthereorum.

l) MACQUER l. c. Tom. II. p. 433. & 441.



specu virium medicatarum olea hæc a se invicem non differre, Prædicorum expertissimorum, magnorumque Virorum unanimis consensus comprobare videtur; quotiescunque enim de Oleosis præcipiunt, indiscriminatim de iis agere consueverunt *m*).

Hujus quoque loci est de Oleis coctis verba facere. Prostant in officinis pharmaceuticis sub hoc nomine oleum olivarum, in quo Herbæ, sive Flores fuere coctæ. Cum vero olea per calorem, uti in sequentibus demonstrabo blandam naturam amittant, & acria quodammodo fiant; hinc præ aliis oleis unguinosi præter empyreuma illud, quod sibi contraxerunt, nil proprii habere videntur. Nil enim ex Herbis, paucum si mucilaginosum si exceperis, sibi unire valent, id vero per moram inde iterum secedit, & fœcum sub forma fundum vasis petit. Negligi quoque possent olea cum herbis aromaticis infusa *n*); nihil enim aromatici inde recipiunt, & si oleo unguinoso, sive odorem, sive virtutem plantæ cujusdam aromaticæ conciliare medico animus sit, id aliquot olei odorati guttas uncia uni olei unguinosi addendo facillime fieri poterit.

## S. III.

## EXPERIENTIA I.

*Oleosa rigiditati fibrarum medelam adferunt.*

Omnem fibram animaleam ex terra & glutine esse constatam, HALLERUS *a*) optime evicit. Durissimum os, Pe-

*m*) CELSUS de Medicina L.V. Cap. III. V. & VIII. ALEX. TRALLIAN. L. VIII. præcipue. Cap. VIII. & X. RIVERRI Prax. med. libri, præsertim VII. cap. I. II. III. SENNERTI Oper. L. I. & II. Capita. ETTMÜLLER Op. Tom. II. part. II. p. 9. mitto plures, quos possem allegare autores.

*n*) Hæc olea non raro per coctionem parantur, sed pessime, quippe partes volatiles, aromaticæ, coctione in auras aguntur.

*a*) *El. Physiolog. corp. hum.* ed. Lauf. Tom. I. p. 3. 199.



trosum dictum, a tenuissima membrana Arachnoidea, ratione solummodo glutinis ad terram differt. Glutinis pars plurima aqua est, aliqua oleum. Sed sola aqua & oleum tantam partium terrestrium cohaesionem efficere non possent, nisi aer fixus, qui proxenetæ vice fungitur *b*) accederet. Ossa calcinata, integra adhuc, sed fragilia, in aquam versa, non solum pondus amissum, sed & pristinam duritiem recuperare cel. BOERHAAVE *c*) asseruit. Sed NEUMANNO *d*), & aliis, & mihi id experimentum non successit. Quod vero hujus, & magis adhuc olei ope cohesio augeatur, nemo inficias ibit *e*). Et quod rigiditas fibrarum ab excedente terræ ratione, laxitas vero seu debilitas a glutine excedente pendeant, res est manifestissima. Intelligere hinc pronum est, omne id, quod partes gelatinosas in compositione fibrarum adauget, rigiditatem tollere, eisque flexilitatem conciliare. Et quoniam aquam & oleum partes constitutivas esse glutinis constet, hinc utrumque optimum esse emolliens *f*) sponte perspicitur. Emolliendi vero vis, quæ oleo propria est, superat multum illam, quæ aquæ inest. Rigidissimum corium, adfusa aqua, emollitur quidem, sed mox iterum exsiccatur, & strictius, quam antea fuit evadit. Quod si vero oleo illitum fuerit corium, flexilitatem recuperatam diutissime retinet. Sunt enim partes aquosæ oleosis magis volatiles, hinc citissime in auras avolant. Et quoniam avolans aqua

---

*b*) l. c. Tom. I. p. 6. HALLERUS ita: *Videtur aer vinculum elementorum primarum constituere, cum non prius ea elementa a se invicem discedant, quam aer expulsus fuerit &c.*  
*c*) *El. chemia.* Lugd. Batav. 1732. Tom. I. p. 592.  
*d*) l. c. Tom. III. p. 165.  
*e*) V. MUSCHENBROECK *Inst. physica.* ed. L. Bat. 1762. p. 397. & p. 402.  
*f*) Omnes Medici uno ore hancce sententiam testantur, ita ut superuum foret, multos allegare auctores.





partes corii gelatinosas simul secum rapit, illud necessario rigidius, quam antea fuit evadere debet.

§. IV.

Corporis nostri solida, partibus terrestribus glutinis ope unitis esse conflata, terræ ratione ad gluten excedente rigiditatem oriri præcedente §o ostendi. Nunc vero de vitio rigiditati opposito, de laxitate nimirum verba sunt facienda. Cum vero cohoesionem ab excedente terra & aquæ & olei ope diminui præcedenti §o quoque ostenderim; hinc immoderato eorum usu laxitatem iusto majorem, & sic debilitatem oriri, fit evidens. Olea corpori nostro applicata, fibrarum elementa a se invicem quasi recedere cogunt, & ea a contactu remonent <sup>a</sup>), efficiuntque, ut inertius cohoereant.

§. V.

EXPERIENTIA II.

*Oleosa calore rancescunt.*

Blandissimum butyrum paucarum dierum intervallo rancescere optime norunt artis culinariæ periti. Quævis oleosa, solis ardori exposita, brevi in liquamen rancidum & acre abire, vulgatissimæ experientiæ res est. Frixando vero intra aliquot minorum spatium oleosa ita mutantur, ut blanditiem amittant, colorem mutant, & empyreuma oleant. Calor itaque, qualicumque modo productus, oleosis acrimoniam affricat, gustu & olfactu facillime detegendam, hæc rancoris nomine venit. En corruptionis speciem, solis oleosis propriam.

<sup>a</sup>) Chartarum lacinia aqua madefacta fere sexta parte longiores fieri legitur. *Acad. des Sc. l'an 1714. p. 72.*



Ranciditatem fermentationis esse speciem, nemo dubitabit, modo consideret, quod, quando pinguedo in quadam corporis plaga rancorem sibi contraxit, hic facile propagetur, perque reliquum corpus brevi diffeminetur. Et vasa, quibus oleosum rancidum fuit asservatum, nisi lixivii alcalini ope probe purgentur, qualiacunque olea ipsis commissa rancida reddere, hanc veritatem confirmant. Minimæ enim particulæ, quæ & visum & tactum fugiunt, & non nisi olfactu detegi possunt, agunt in fermenti modum; imprimunt hæ mitissimis substantiis eundem motum, qualem ipsæ jam fuere expertæ, & ita blanditiem eorum in acrimoniam convertunt.

Sed id quoque quotidiana nos docet experientia, non omnia oleosa æque cito rancore corripit; id quod partim ab admixtis partibus heterogeneis; partim a diversarum consistentia pendet. Partes caseosæ, & aquosæ, in butyro ex lacte obtento hærentes, nec non mollis ejusdem consistentia, mutationem multum promovent. Butyrum vero de cacao ob consistentiam ejus magis solidam, qua impeditur, quo minus motus intestinus surgere possit, ab omni rancore immune per annos asservari potest. Hic enim motus intestinus ut surgere possit, determinatus quidam requiritur fluiditatis gradus. Nequaquam tamen perfecta opus est fluiditate; sed mollities, quæ principiis e suo loco movendis obstaculo non est, ea tantum, ut adfit, necessum est. Sine omni fluiditatis gradu nullus motus intestinus; absque hoc nulla mixtionis mutatio nasci potest a). Hinc plantæ, vel pars quædam

a) ETTMÜLLER *Op.* Tom. I. p. 355. de fermentationis & putredinis convenientia: *In fermentatione, inquit, & putredine observatur motus minimarum particularum, ex quibus concreta naturalia coaluerunt, sub quo motu materia corporis certam & notabilem subit mutationem &c.*



animalis, quæ nihil, vel parum saltem aquæ foveat, omnis igitur fluiditatis & mollitiei expertia, mineræ instar immutabilia, & contra omnem corruptionis labem defensa longissime perstabunt.

§. VI.

EXPERIENTIA III.

*Oleosa functioni Ventriculi inimica.*

Nec non hujus experientiæ veritatem quotidiana quemlibet docet observatio. Nimiam oleosi cujuscunque quantitatem ingurgitans, quanquam ventriculo gaudeat robustissimo, nihilominus ructus, oris amaritiam, & appetitum deletum per notabile tempus experitur. In debiliore vero ventriculi hominibus, nausea, cephalalgia, cardialgia, vomitus atque cholera, his symptomatibus læsæ digestionis a) sese associant.

Ut enim interna ventriculi superficies contentis sese adaptare, & ita in cibos agere, eisque humores inquilinos, quorum ope ciborum cellulæ disrumpuntur, penetranturque, & ingesta pultis in formam rediguntur, admiscere possit, justum requiritur fibrarum Ventriculi robor, ut in se invicem coire queant. Quoniam vero fibris relaxatis tanta vis in sese coeundi non est, quanta strictioribus: hinc, cum oleosis fibras relaxari exper. immonuerim; atoniam ideo ventriculi creari, digestionemque depravari sponte sequetur. Oleosa porro in Ventriculo

---

a) Hæc omnia a Pathologis inter symptomata læsæ digestionis recensentur. v. BOERH. *Inst. med.* L. Batav. 1746. p. 398. sqq. *Ex ructu nos addiscere ventriculi affectum monet BARCHUSEN Coll. med. pract. gen.* Amstel. 1715. p. 57.



culo & humido & calido contenta, blanda natura per exp. <sup>11</sup>idam. exuta, acrimonia sua sensilem Ventriculi tunicam irritant, quæ irritata sese contrahens aerem, Ventriculi vaporibus, quibus olei rancescentis amarities & odor ejus nauseosus insunt, imbutum ac gravidum expellendo ructus amaros & nidorosos, nec non, quæ hos plerumque comitatur, oris amaritiam ut producat necessum est. Hæc sunt mala levioris momenti; at olea hæc diuturniore in Ventriculo mora ad majorem corruptionis gradum deducta, adeoque & vividiori stimulant, rudentique virtute imbuta, tristiore tragœdiam ludunt: Ventriculum quippe, & ostium ejus præcipue superius sensu gaudens exquisitissimo, validius nunc afficiendo cardialgiam, & per consensum nervorum cephalalgiam atque vertiginem <sup>b)</sup> faciunt; unde, cum & ventriculus in perpetua tunc contractione sit, & se omni molimine exonerare tentet: ob constrictum vero ejus superius & inferius orificium conatui suo satisfacere nequeat, perpetua Nausea vexabitur æger, donec tandem spasmo relaxato per os Ventriculi superius, vel inferius, vel utrumque simul, materiam hanc eliminans Vomitus, Diarrhœa, Cholera, & quæ ex debilitate, a spasmo proveniente sequuntur, Anorexia, Lienteria, &c. malorum finem facient.

§. VII.

Meam hucusque circa oleosa sententiam apposui: restat igitur, ut, quid viri clari, & artis nostræ parentes

---

<sup>b)</sup> ETTMÜLLER Op. Tom. II. p. 62: *Quando depravata est digestio, illam testantur inprimis ructus; subinde vertigine corripiuntur inprimis jejuni, qualis vertigo, præsertim in nondum senescentibus, semper radicem habet in ventriculo.*



de iis sentiant, paucis memorem. CELSUS a) de ventriculo faventibus agens, macrum potius huic convenire quam pingue contendit; & capite sequente, aliena a ventriculo pertractans, omnia pingua, juglandes &c. recenset. RIVERIUS b) carnes pingues ventriculo infensas nauseamque parientes esse reputat. Et alibi c) *ventriculi*, inquit, *tunicas laxant, ejusque tonum dissolvunt, & appetitum dejiciunt*; idem in Prax. sua med. d) ait: *Vomitum excitat alimentorum qualitas pinguis & oleosa*. Tandem in observationibus RIVERIO ab aliis communicatis, *observatione Ima*, caninam appetentiam usu medicamenti amari excitatam, abstinencia ab amaris & pinguedinis ope curatam legimus. Pingua & oleosa anorexiam creare ETTMÜLLER e) monet. Et quæcunque ab oleosorum usu producantur mala magnus BOERHAAVE f) egregie descripsit. Cl. RICHTER g) de victu vegetabili verba faciens: *olive*, inquit, *gravant nimia oleositate, & fastidiuntur*. Et thesi seq. *nuces juglandes aridae ægre digeruntur. Per moram & ætatem rancidiori oleo pectori atque capiti nocent, asperitatem faucium creant*. Et de victu quadrupedum h) agens: *Pinguedo difficillime conficienda, durioribus hominibus & voracioribus in usum convenit, tonum partium solidarum labefaciens, facile appetitum evertens, nauseam pariens &c. alio denique loco i) monet: Pingua nunquam sine copioso pane sumenda esse, quia male digesta & rancescentia, flatu, tor-*

a) *De Medicina* L. 2. cap. XXIV.

b) *Instit. med.* L. IV. cap. XVI. op. suis p. 108.

c) *l. c.* cap. XVIII. p. 109.

d) *Prax. med.* L. IX. cap. VII.

e) *Op. omn.* Tom. I. ed. cit. p. 49. & Tom. II. p. 29.

f) *Instit. medic.* §. 765. p. 386.

g) *l. c.* p. 79. 80.

h) p. 113. 114.

i) p. 170.



*mina, choleram, & similia pariant. Et Cl. ACKERMANN h):*  
*Ventriculus, inquit, aliquomodo debilis, pinguis ferre non*  
*potest, hæc enim debilitatem ejus adaugent.*

§. VIII.

EXPERIENTIA IV.

*Oleosa ad nutritionem non sunt apta.*

Primo forsan intuitu, hanc experientiam paradoxam habebis; quam vero re non nihil accuratius perpensa, & natura & theoria fundatam esse reperies. Ut particulæ, suo munere functæ, & vitali motu detritæ, e corpore eliminentur, & novæ iterum in eorum locum ex assumptis præparatæ accedant, secundum perpetuam Creatoris legem natura nostra exigere videtur. Cl. RICHTER <sup>a)</sup> vitam animaleam cum candelæ flamma optime comparavit, quæ sub perpetua sui metipsius jactura ex novo continuo pabulo se, suamque figuram conservat, eodem modo vita humana inter continuas partium dissipationes per succedaneam, partium ope viscerum ex assumptis præparatarum, restitutionem se, suamque machinam integram conservat. Ut vero nutritio isthæc rite peragatur, debita assumptorum assimilatio in propriam cujusvis naturam ut præcedat necesse est. Partes quidem oleosæ, per transpirationem, urinam, &c. omni tempore e corpore secedunt; verum inde oleosa ad nutritionem vel apta, vel necessaria esse nequaquam sequitur. Homo enim sanus, pane solo & aqua victitans nequaquam inde male se habet, & amissa æque bene, ac si pinguibus nutritus fuisset, reparantur. Qua-

*k) über die Krankheit der Gelehrten &c. Nürnberg. 1777. p. 218.*

*a) l. c. Proleg. Thef. II.*





drupeda solo gramine pasta nobis lac *b)* præbent oleosis scatenis. Inest igitur corpori animali facultas ingesta in suimetipsum naturam transformandi *c)*.

§. IX.

Nutritio in deperditis reparandis occupata, non modo vim viscerum, ingesta rite mutantem exigit, sed & talem assumptorum naturam postulat, quæ vires coctrices non eludit, & sua indole deposita, animalem induit genium, & hinc facit, ut, in cruditate sua minime persistant assumpta, neque a fabrica subacta eidem detrimento esse possint. Sed oleosa, & vires primarum viarum concoctrices debilitant, & a nullo humorum, digestionem inferentium subigi queunt; hinc cum suam retineant indolem, sibi relicta corrumpuntur. Oriuntur inde mala a celeberr. BOERHAAVE in suis Inst. med. *a)*; a cl. GAUB in sua Pathol. *b)*; atque in experientia III<sup>ta</sup> hujus dissertationis recensita. Corruptur ita negotium digestionis; fons, cui omnes humores, qui corpus nostrum rigant, alunt, atque conservant, suam vel puritatem vel impuritatem debent, in scaturigine redditur turbulentus.

Oleosa ut humoribus misceri valeant, a bile præparari, dudum jam inter viros clarissimos *c)* sententia viguit,

---

*b)* Animalia non pinguibus nutriuntur, atamen & pinguedo magna in copia in eis reperitur.

*c)* Vid. Dissert. hicce loco 1767 ab illustr. DOERNER defensam, cui titulus *de Corpore animali chemista*.

*a)* l. c. §. 765.

*b)* l. c. §. 459.

*c)* V. SWIETEN *Comment.* ed. cit. Tom. I. p. 96. 97. Dissert. citat. ab ill. DOERNER habita p. 15. Mucus potius, qui ex glandulis primæ ordinis, per totam viam cibariam & per tractum intestinorum occurrentibus, secernitur, suspensionem oleosorum in humoribus aquosis efficere, ex theoria emulsionum mihi probatum videtur.



Sed si experimenta cl. Virorum; ROEDERER *d*) & UTHEN-DOERFFER *e*), quibus & propria mea tentamina accedunt consultantur, bile nequaquam sive trituratione, sive con-  
quassatione aut coctione olea in aquosis suspendi posse  
elucescet: peracto enim motu olea hæc bilem relinquen-  
tia, superficiem vasis occupant. Is quidem non sum,  
qui ideo & corpori nostro hoc artificium præfracte ne-  
gem; fabricæ animalis multas esse encheireses, quas ars  
vel ignoret, vel imitari nequeat me non latet *f*). Ve-  
rum num ex concessa bili in corpore animali, quam in  
mortario & vitro celat virtute saponacea, sequeretur  
oleorum ulla ad nutritionem aptitudo? nonne pinguefa-  
ctionem inter & nutritionem maximum est discrimen?  
nonne hæc sine illa subsistit, imo ad majorem perfectio-  
nis gradum pervenit? Nonne, ut partes ex chilo pin-  
gues secedere, & in cellulosam deponi, & sic obesitatem  
creare possint, imminuta requiritur circulatio *g*), quæ  
iusto vasorum robori, ad bonam nutritionem requisito,  
evidentissime contrariatur?

Pinguedinem a venis resorberi, subitanea in morbis  
acutis emaciatio *h*) evincit, an vero resorptum nutriat,  
sub iudice lis est *i*); alii alibilem hanc ejus naturam ad-  
mittunt, alii vero probabilius negant; quibus, si supra

B 3

*d*) In Dissert. sub Præf. celeberr. SPIELM. 1767. defensa, cui titul.  
*Experimenta circa naturam bilis* §. 35.

*e*) In Dissert. de Bile 1774. hicce locor. defenf. §. 18. 19.

*f*) V. Dissert. cit. ab ill. DOERNER de corp. anim. ch.

*g*) Cl. BARCHUSEN l. c. p. 18. refert pinguedinem inter indicia fri-  
gidæ intemperiei.

*h*) V. ETTMÜLLER *Op.* Tom. I. p. 286. Ill. v. SWIETEN *Com-  
ment.* ad §. 681.

*i*) Confer de hac controversia Cel. HALLER *El. physiol.* ed. cit.  
Tom. I. p. 47. ex iis quæ illustriff. hicce vir addidit, facile per-  
spicitur, illum potius contra nutritionem pinguedinis, quam pro  
illa stare.



de oleosorum qualitatibus dicta perpenderis, facile assensum præbebis. CELSUS *k*) oleum atque pisces inter ea, quæ mali succi sunt posuit. RIVERIUS *l*) in suis *Institut. med.* Pinguedo ait, & adeps pauci sunt nutrimenti, & potius carniū nos nutrientium condimenta, quam alimenta. CL. HOCME *m*) Pinguia officio nutritionis inepta esse monuit. Et AKERMANN *n*) obesitatem signum adversæ valetudinis esse asserit.

§. X.

EXPERIENTIA V.

*Oleosa putredini favent a).*

Quid blandissimo oleoso ab intenso solis ardore, aut diuturniore in aere calidiusculo mora accidat exp. II<sup>da</sup> ostendi: hæc autem fata non solum pinguedinem a corpore separatam manent, sed eas quoque oleosas partes, quæ adhuc in ipsa circulationis activitate constitutæ sunt. Hæ enim valido & continuo circulationis attritu eundem effectum experiuntur. Unde merito cel. HUXHAM *b*): diuturnus, inquit, æstatis fervor usque adeo torret animales humores, ut longe acriores sint sub autumnum, quam verno

*k*) De Medicina L. II. Cap. 21.

*l*) l. c. L. IV. Cap. XIII. p. 109.

*m*) Ejus Principia med. ed. Amstel. 1775. p. 5.

*n*) über die Krankheit der Gelehrten &c. p. 217.

*a*) Aves oleosis immerfas ad regiones distillissimas vehi, & contra putredinem tueri; fermentationem liquorum superfluo oleo impediri, nec non a fermentatione sicca glebas metallicas tali modo defendi, me plane non latet, sed non ab indole oleosis propria hæc proveniunt, sed solummodo aëris ad corpora accessum impediendo hos producunt effectus; nam quod sine aëre nec fermentatio nec putrefactio progredi possit, inter chemicos notum est.

*b*) Op. phys. med. Tom. I. p. 20.



tempore: Hæc utique est adustio ista sanguinis toties a veteribus memorata: siquidem magna hinc copia bilis acerrimæ generatur, unde cholera, dysenteria, biliosa, putrida, & ut dicuntur malignæ febres ineunte autumno ita sunt frequentes. Cui assentit cel. Medicus c), atque propriis hæc observationibus confirmat. Stagnans in cellulosa pingue, dum in liquamen abit magno vitæ discrimini hominem exponere nemo non videt. Præsertim si malum in omento radices egerit. Pinguedo enim tunc liquefacta, cum omentum vasis excretoriis destitutum sit, per venas epiploicas directe ad venam portarum transiens hepar inundat, bilis officinam turbat, bilemque & qualitate & quantitate peccantem efficit: per venas vero hepaticas in venam cavam translata sanguinem acrimonia inquinat, & omnis generis morbos biliosos & putridos producit d).

Carnem quo plus habet pinguedinis eo citius corrumpi, optime norunt coqui; & rancorem putredinis esse speciem, id est corruptionem quæ circa oleosa obtinet, exper. II<sup>da</sup> memoravi; hinc dum hæc corruptio, quæ motui intestino debetur, in parte quadam obtinet, facillime sese per reliquam corporis massam diffundendo, omnes partes inficere valet e). Unde cur cel. GAUB f)

c) Sammlung v. Beobacht. aus der Arzneywiss. Zürich 1764. p. 72.

d) BOERH. I. c. §. 766. p. 386. RIVIERUS Inst. med. L. I. Sect. III.

Cap. V & L. IV. cap. XVIII. ubi dicit: Pinguedo est adeps in biliosis corporibus facile in bilem vertuntur. Et Cap. sq. Butyrum ejusdem naturæ esse cum oleo olivarum; esum illius vitandum esse calidioris complexionis hominibus, in quibus facile accenditur atque in bilem mutatur.

e) STAHL Fundam. chem. P. II. Tract. I. Sect. Cap. V. Corpus in putredine existens corpori a putredine libero facillime corruptionem conciliat, quia illud ipsum corpus, quod in motu intestino jam positum est, alterum quiescens ad talem motum tamen proclive, in eundem motum intestinum facile abripere potest.

f) I. cit. §. 149.



inflammabilis abundantem copiam inter putredinis causas recensuerit non mirum. Cl. PLATNER g) de sanguine in cellulofam effuso facile putrescente verba faciens causam quoque in calore ponit, qui ab inflammatione tunc semper focia productus, oleum destruit & rancidum reddit. III. HUXHAM h) ut rancidum piscium oleum & putrescens eorum indoles corrigatur cum multo aceto eos comedendos esse monet. Cl. RICHTER i) tandem: *pinguia, ait, gula appetit, medicina damnat, quia facilius putredine corripuntur.*

§. XI.

EXPERIENTIA VI.

*Oleosa dolores mitigant, si loco dolenti applicari valent.*

Dolorem sive ab irritatione, sive a fibris nerveis nimis tensis originem trahere res est certissima. Fibra enim magis tensa irritabilior deprehenditur; & stimulus validior languentem quoque fibram irritare valet. Cum autem irritabilitati sensibilitas semper respondeat, cumque hæc adaucta dolorem creet: hinc quod dolor vel a stimulo; vel a fibra nimis tensa pendeat abunde patet. Tensio autem corrigitur efficiendo, ut fibræ tensæ magis elongari valeant, id vero irrigatione & madefactione obtinetur. Fibra enim juxta phylicas demonstrationes pro ratione liquidi plus vel minus elongari potest. Cum igitur acrimoniam obtundendi involvendique oleorum nota virtus stimulum enervet, infringat, occultet; & eorum per exp.

Imam

g) *Inst. chirurg.* ed. Lipsf. 1758. §. 36. p. 16.

h) *l. c.* Tom. I. p. 246.

i) *l. c.* Cap. II. Membr. I. Sect. II. Class. III.



Inam demonstrata laxandi indoles, fibras tensas relaxet. irriget, atque emolliat, hinc quod utrique scopis satisfaciant, & anodynorum effectus exserant confectum est atque decisum.

Ad hunc vero scopum olea blanda adhibenda esse, & in iis solum modo casibus, ubi horum corruptio non est metuenda, ex præmissis perspicitur.

§. XII.

EXPERIENTIA VII.

*Oleosa alvi libertatem promovent.*

Vario ex fonte excretio alvina impeditur, vel enim materies excernenda sat mobilis, & fluida non est; vel intestina pro transmittendis excrementis satis pervia non sunt, vel denique vis, materiem movens, nimis iners est. Quodcumque vero ex recensitis obstaculis oleosis auferri posse exp. I<sup>ma</sup> II<sup>da</sup> & VI<sup>ta</sup> clarissime loquuntur; hinc oleosa alvi libertatem promovere quis non videt? Quando materiei excernendæ nimis spissæ, glandulæ mucosæ nullum lubricantem largiuntur liquorem, oleosa præstant id quod glandulæ recusant. Intestina, si spasmodice sunt coarctata, oleosa fibras relaxando, spasmus tollunt, & excretionem promovent: & quando intestinorum inertia excretionis retentæ causa est; oleosa alio modo agere observamus. Stagnant enim in horum cavo, & longiori mora acria fiunt, tunc demum sua acrimonia irritant, & intestina stimulando ad contractiones frequentiores invitant, atque eccoprotica evadunt.

CELSUS a) inter ea, quæ alvum ducunt, pinguiam posuit. ERUD. RICHTER b) de victu quadrupedum verba

a) L. II. Cap. XXIX.

b) l. c. p. 121.



faciens: *Carnem ovillam pinguedine sua vomitum & alyum stimulare*, monet: atque dum de diæta gravidarum agit c) *alyum ultimis mensibus segniorem, vel leni enemate, vel cibo pinguiusculo, vel mannata potione solvi, commendat.* ETMÜLLER d) *Oleum alyum laxare, em ollire, fæces induratas leniter solvere, asserit.*

§. XIII.

EXPERIENTIA VIII.

*Oleosa poros cutaneos obstruunt.*

Experientia hæc unanimi authorum testimonio stabilita est. ETMÜLLER a) *unguinosa poros oblinire & infarcire*: annotat celeberrimus BOERHAAVE b) *oleosorum usu meatus cutis obturari* monet. Pinguia loco erysipelate vexato applicata obacrem materiem, morbi causam, exhalando imparem ulcera creare non facile sanabilia refert PLATNER c) & alibi d) ubi tumori, quæ pus movent adponenda jussit: *moliunt, inquit, oleosa fibras laxant & cutis perspirationem cohibent.* Atque pinguia transpirationem oclusis poris suppressere III. GAUB e) confirmat. Hoc vero sine magno sanitatis detrimento fieri non posse suadet in summum ad repurgandum corpus sanitatis præsidium, a natura ordinata perspiratio insensibilis. Hæc quo melius succedit, eo efficaciores fiunt corporis vires coquentes, & attenuantes in excrementitiis liquidis, tenuissimis quidem, crassa tamen pondere superan-

c) l. c. p. 344.

d) Op. omn. Tom. I. p. 496.

a) Op. omn. Tom. II. P. II. p. 8. & in eadem P. p. 124.

b) Aph. de cognosc. & cur. morb. §. 376.

e) l. c. p. 77.

d) l. c. p. 44. §. 91.

c) l. c. §. 597.



tibus f) expellendis; atque hoc modo corpus a majori onere liberant. Hinc cl. PRINGLE g) de unguento, sulphure helleboro & axungia constante pro curanda scabie verba faciens: *ad mala vero, inquit a poris una vice nimis multis clausis oriunda evitanda quartam tantum corporis partem eodem tempore inungere curabam.*

In balneorum usu omnibus fere gentibus olim familiarium Aegyptis praesertim, Graecis & Romanis, ne supervenientibus exercitationibus gymnasticis, cutanei meatus, a pingui forditie crebra hac ablutione absterfi, nimis perspirationi pateant, inunctione corrigere solebant h). Post modum vero, veterum exercitationibus gymnasticis abolitis, & linteis indusiis in usum tractis, cum corpora nostra minus sudorum fordibus inquinentur, tantae ac olim apud nos balnea, & multo minus inunctiones non amplius sunt necessitatis. Laxior corporum nostrorum compages frictions potius siccas postulat, ut per eas restaretur motus deperditus atque perspiratio adjuvetur.

§. XIV.

*Transgressus ad comparationem effectuum oleosorum cum genio morborum.*

Medicinam fere nihil aliud esse, quam medicamento & morbi comparationem, optime monet Cl. FREIND a), ideo oleosorum effectus per phaenomena notos comparandos esse duxi cum genio morborum, & indicationibus mere therapeuticis, quibus obtentis debellari possint; ut

f) Vid. SANCTORII *Med. Static.*

g) *De Morbis Militum* ed. Germ. Altenburg. 1773. p. 407.

h) V. HIER. MERCURIALIS *de Arte gymnastica* L. I. Cap. VIII.

p. 36. 37.

a) *Emmenolog.* Cap. XIV. P. 140.



pateret, num effectus illi his indicationibus responderent, num ne? Experimentias vulgares proposui, ut fundamenti loco intervirent. Egregie Ill. GAUB <sup>b)</sup> monuit: *Quicquid de natura corporum prudenti sensuum ministerio clare cognoscitur, id firmum ratumque censendum.* — *Quæ de potestatibus rerum externarum in hominem agentium fideli observatione comperta habentur, vera sunt, quacunque porro ex observatis ad congrua demonstrationis principia adplicatis casti ope ratiocinii legitime deducta sunt, non minorem fidem merentur.*

Principia vero ex Anatomia, Physica & Chemia petenda sunt. Hisque præfidiis imbuti obtinebimus Medicinam ab hypothesebus noxiis liberam. Natæ hac ratione propositiones determinatæ, perpetuo dein cum ulterioribus observationibus conferendæ, donec constet constans experientiæ consensus. Cessabit tunc dissensus sententiarum, errores detegentur & agnoscentur; ad simplicem veritatem sibi semper similem propius sensim accedemus, atque praxeos firmum stabilietur fundamentum.

§. XV.

*Oleosorum usus in morbis acutis.*

In quocunque morbo acuto inflammatorio semper obstructio canalis arteriosi, cum impetu valido sanguinis a tergo urgentis in locum obstructum obtinet. Requiritur itaque ad curationem, ut moleculæ obstruentes attenuentur & dividantur, aut vasa obstructa relaxentur, ut liber fiat humorum transitus per vasa antea impervia. Facile intelligitur, effectum fore eundem, sive vasis obstructi augeatur capacitas, sive moleculæ obstruentis minuat moles; utroque enim in casu fluido per canalem antea

<sup>b)</sup> *Introduct. ad Patholog. p. 8.*



obstructum iter conciliabitur liberius, id quod unice requiritur.

Ut latera vasorum laxentur, & sic vasa laxata distendenti liquido facilius cedere possint, ab omnibus fere medicis inunctiones cum oleosis suadentur.

Hanc relaxationem maximi momenti esse, non solum in febre ardenti, ubi ipsissima vasa obstructa relaxantur, sed etiam in morbis inflammatoriis cum vitio topico, ubi derivando agere possunt, quodque inde elucescit, quia in morbis acutis, in quibus maxima circulationis velocitas, semper maxima copia sanguinis hæret in vasis arteriosis, venis vero depletis. Laxatæ itaque venæ, facilius hinc distendendæ, ab impulso ex arteriis sanguine, plus sanguinis recipiunt, minor ergo copia sanguinis redit ad cor, & minuitur ita una ex causis præcipuis motus cordis. Sed re accuratius perpensa mihi saltem minus placet hæc procedendi ratio, oleosa quippe vasa exhalantia obstructuendo, (Exp. VIII.) transpirationem, qua non raro materies febrilis foras expellitur certissime impediunt. Nolo hic HELMONTIUM *a*), nec alios, qui transpirationis commodum in febribus inflammatoriis nimis justo extollere conati sunt, defendere. Non ignoro, opinioni huic assentientes praticos solis diaphoreticis *b*) omnes febres debellare studere, parum curantes, num natura huc vergat, nec ne: sed hos cel. SYDENHAM *c*) & de HAEN *d*)

*a*) De Febribus Cap. 14. p. 775. fgg.

*b*) Si diluentibus aut talibus, quæ absque motus augmento attenuant & solvunt, disposuissent materiem febrilem, ut hac via evacuari commode posset, non adeo nocuissent; verum calidis aromaticis, salibus volatilibus, calore atmospheræ & lecti, dum hoc perficere tentabant, addebant ignem igni, dissipabant diluens sanguinis vehiculum, atque omnia turbabant in morbis.

*c*) Opusc. universa Cap. de febre continua.

*d*) Rat. medend. Tom. I. Cap. III. Tom. V. Cap. I. Tom. VII. Cap. V. Tom. VIII. C. I. II. &c.



meliora docuerunt. Etſi SYDENH. maxime pernicioſam hancce curandi methodum habet, tamen e): *Quod diaphoreſis, proprie loquendo naturæ ipſius ſit methodus, per quam materiem febrilem protrudit, & præ cæteris maxime genuina ſit, quoties natura ſuo relicta arbitrio, dictam materiem prius digerat, dein rite coctam per corporis habitum blande expellat &c.* Curatio inflammationis ſpurix, eryſipelatis evidentiffimum nobis ſiſtit exemplum. Humores ſanguine tenuiores in vaſis capillaribus cutaneis ſtagnantes illam creant. Si leni fricitione, calore modico, adhibitis fomentis vaſa roborantibus & leniter ſtimulantibus, egreſſus halitus perſpirabilis, atque humorum acrium, in vaſis cutaneis impactorum promovetur, tunc reſolutio, omnium maxime optabilis inflammationis exitus, obtinetur. E contra ſuperimpoſitis pinguibus, conſtipantur vaſa cutanea, (Exp. VIII.) per quæ materies eryſipelatis cauſa debuiffet tranſpirare, ipſa perſpiratio inſenſibilis impeditur, ſed hanc acris eſſe indolis nemo eſt qui ignorat, manet itaque intus hoc acre, priori ſeſe jungit, atque efficit, ut malum ſerpat, & in gangrænam abeat, quam ut plurimum pinguedo latera vaſorum ambiens creare ſolet. Illa enim per nimium attritum & per nimium, quem hic ſemper producit calorem, fuſa atque acrior (Exp. II<sup>da</sup>.) redita, vexat roditque vaſa, quæ ab acribus in eis hærentibus humoribus jam ſollicitata fuere, & ſic hæc rancida f), pinguedo acrimonia ſua in vaſorum parietibus ſtimuli vices agit, & quando acrimonia humorum intus hærentium accedit, ſolutio continui laterum vaſorum contingit, nova febris g) accenditur, & omnia in pejus ruunt.

e) l. c. in *Schedula monitor. d. nov. febr. ingreſſu* p. 679.

f) Ill. VAN SWIETEN *Comm.* in §. 122. ed. cit. Tom. I. p. 187: *Si in pinguedinofis vaſis obſtrudtio fiat, calore & ſtagnatione cito corrumpendum pingue in peſſimam convertetur ranciditatem.*

g) PLATN. *Inſt. chirurg.* §. 55. & 56.



## §. XVI.

Non possum ergo non omnibus oleosis effectum adscribere nocivum, sed Aqua, quæ tam extus a) quam intus tepida adhibetur, desideratum relaxantium præstat effectum, transpirationem promovet, & sola, simul institutis & reiteratis venæsectionibus, morbum inflammatorium tollere potest. Jure igitur exulent oleosa, hisque innocens substituaturs aqua. Nihil enim curæ inflammationis per resolutionem magis convenit, quam replere vasa diluentibus. Aqua vero primum est diluens, & reliqua diluentia omnia non nisi ratione aquæ, quam fovent, effectus suos exferere videntur.

Venarum bibularum oscula, in tota corporis superficie patentia, contiguam aquam hauriunt & sanguini admiscunt, defertur itaque hoc liquidum cum sanguine venoso ad cor, atque inde ope arteriarum per universum corpus distribuitur. Sed fomenta diluentia non tantum profunt, quatenus diluens aquosum venulis absorbentibus insinuant, verum etiam quatenus, vasa laxando, faciunt, ut, liquido per ea transiundo, melius cedant. Nec non externa adplicatione diluentia arteriolarum exhalantium extrema ingredi probabile est b). Si jam si-

a) ALEX. TRALLIANI de liquidorum usu observatio L. VI. Cap. I. maximam meretur attentionem. *Humor, inquit, alimenti vehiculum est. Quam ob rem aquam tepidam exhibere ne definas. Neque enim sicum quodvis medicamentum absque humore in altum potest descendere, sed in superficie actionis expers remanet; ubi vero humido aliquo mixtum est, vires suas exferit &c.* Hæc observatio ingentis momenti est, lateque in omnem medicinæ usum se diffundit, præcipue vero in acutis morbis, monente JOH. FREINDIO in sua relatione de ALEX. TRALL. p. XXIX.

b) Si nempe majores ramuli, unde minores hæ arteriæ prodeunt, obstructi fuerint, tunc enim ultimi illorum fines vacui contigua liquida ebibent, illa vi, qua minimæ fistulæ cavæ liquores hauriunt.



mul, dum hæc externe adplicantur, & ingens similiarum copia potatur, resolutio concretorum fluidorum obtinebitur, quatenus per diluentia liquida fieri id poterit.

Neque in clysmatibus oleosis opus est: & his enim aqua præstat tepida, quæ excrementa diluendo, latera intestinorum relaxando, & retenta per aliquot tempus, atque resorpta venis bibulis intestinorum suo effectum cum internis diluentibus conspirando, triplici modo professe valet.

§. XVII.

Tussicula, febres inflammatorias comitans, videtur indicare oleosa, & fere omnes Practitici præscribunt linctum ex spermate ceti, oleo amygdalarum, butyro de Cacao & similibus, syrupo quodam mixta. Sed pessime. ETMÜLLER a) jam Eclegmata, inquit, in tali non amplius estimatione sunt in qua a veteribus habita fuerunt. Hi b) enim putarunt eclegmata hæc successive lambendo deglutita penetrare etiam in asperam arteriam, sicque proxime pulmonum mederi malis. Sed vana est hæc persuasio. Quicquid fauces ingreditur ventriculum petit, ne tantillo, citra tussis incommodum, aut suffocationis metum sensibilissimam rimam glottidis attingente. Unde & eclegmatum putativus usus vanitatis est convictus ab HELMONTIO Tract. de tussi & asthma §. 6.

Oritur hæc tussicula, a nimia siccitate pulmonum in parte aerea, vel, quia vasa sanguinea pulmonis, immeabili sanguine nimis distenta turgent, & vesiculas aëreas

a) Op. Tom. I. p. 496.

b) RIVERIUS Prax. med. L. VII. p. 251: Eclegmata, ob facilitatem ad pulmonem transitum, supino corpore sumenda esse, monuit.



aereas pulmonis comprimunt, teruntur tunc harum superficies ad se mutuo, & tum temporis irritans & sicca tussis observatur. Ad hoc viscidum inflammatorium in pulmone hærens resolvendum summi usus est vapor aquæ calidæ c), inspirando in pulmonem haustus. Vapor aquæ calidæ, quo nihil magis laxat & emollit, sic directe pulmone applicatus, vasa infarctâ & obstructa emollit, & impactum in vasorum angustiis sanguinem diluit. Dum enim diluens & relaxans remedium sic externe ad locum affectum pertingit, & interne similia sumta circulationis lege huc deducuntur, ab utraque parte moleculæ obstruentes alluuntur & ita solvuntur.

§ XVIII.

Etiâ in sanissimis hominibus, nisi cibo & potu restituantur perdita, summam sequi imbecillitatem, atque omnia in putredinem vergere notum est; sed multo magis hoc metuendum, dum per febrem atctâ circulationis velocitas oleosas atque salinas sanguinis partes aciores reddit a). His ex rationibus indicantur nutritiva & demulcentia, quæ acrimoniam obtundunt. Ad hunc scopum, id quod mihi quidem semper displicuit, sæpissime emulsiones præscribi, & non raro potum acidulum una cum emulsione ingeri, non ignoro: sed, si quid ego hac in re perspicio, propinanda esse putem,

c) Adduntur & emollientes herbæ quandoque, quamvis tamen præcipua efficacia a vapore aquæ expectanda sit, vires enim emollientium herbarum in decocto vel infuso manent, neque volatiles sunt, ut una cum vapore assurgere possint. Sæpe tamen similia adduntur, ne nimia remedii simplicitas contemptum atque neglectum pariat.

a) GAUB *Patholog.* §. 302. sqq. & 551. HOME *Princ. med.* p. 68. BOERH. *Inst. med.* §. 766. q. II. cap. 1. §. 180. §. 181.





quæ ex sua indole omni putredini resistunt & simul nutrientium edunt effectus, qualia sunt decocta avenæ, hordei & similia. Sic ambabus indicationibus satisfaciens propter mucilaginosam naturam, his decoctis propriam, tensionem quoque fibrarum corrigimus, & ita, latera vasorum relaxando, efficitur ut vasa minus in sanguinem agant, hinc sanguis minus compingitur, liquidissima ejus pars non tam cito dissipatur, inflammatio citius resolvitur, partim ob imminutam immeabilitatem fluidi concreti stagnantis, partim ob minorem canalium obstructorum contractionem, qua obstruentes moleculas antea comprehendebant & suæ dilatationi resistebant, & hoc modo uno penicillo plures parietes simul dealbamus.

Maximam porro considerationem meretur per febrem acutam soluta pinguedo, quæ sanguini miscetur. *Attenuatur quidem*, ait ETMÜLLER b) *corpus etiam crassissimum sub febrium ardentium æstu, omnisque pinguedo calore intensiore liquecit, liquefacta & in humorem resoluta, a vasis resorbetur & nunc sub forma urinae copiosæ, cui olei aliquantulum subinde supernatat, aut diarrhœæ colligativa, aut sudoris copiosi, foras sensim amandatur; & v. SWIETEN c) si obesus. inquit, homo febre acuta continua laboraverit per 14 dies, quandoque dimidium ponderis sui perdit, quæ jactura ponderis pro maxima parte a diffuso pingui per febrem pendet; & in alio loco d) asserit: nequidem audacissima venæsectione tantum tolli posse, quantum quotidie soluti hujus pinguis humoribus circulantibus permiscetur. Hoc oleosum impedit, ne aquosa diluentia, nisi additis saponaceis, cum sanguine possint misceri, & rapido febrili motu atque calori majori acre (Exp. II.) red-*

b) Op. Tom. I. p. 286. c) Comment. ad §. 681. Tom. II. p. 297. d) l. c. §. 693. p. 311.



ditum, novam irritationem, novam putridam plerumque indolis (Exp. V.) febrim accendit. Hac ex ratione Cl. AKERMANN e): *Obesioris habitus egrotantes ait, multo plus noxii ex febris inflammatorii pati debent: Nihil enim putrida corruptioni magis obnoxium expositumque est, quam ipsissima hac pinguedo.*

### §. XIX.

Iis quæ morbis acutis inflammatoriis sunt communia absolutis, nunc quæ cuilibet morbo in specie conveniant rimemur. Omnis quæ inter hos intercedit diversitas, parti, quam inflammatio affectat, solummodo debetur. In febre ardenti sanguis liquidissima sui parte privatus circa arteriarum extrema stagnare incipit, atque inflammationem per universum fere corpus producit. Impedito tunc libero sanguinis in venas transitu sanguis omnis fere in systemate arterioso collectus, summas sanguini ex corde in arterias pellendo resistencias ponit, hinc validus attritus, & inde pendens calor. Si vero cruor liquidiore parte orbatus, præcipue in vasis cerebri stagnans præsentibus viribus validioribus febrim acutam excitat, tunc Phrenitidem adesse dicimus. Hoc in morbo multi a) laudant oleosas capitis inunctiones, quas vero nocivas esse ex Exp VIIIva & §vo XV facile perspicitur. Cur porro abrasio capitis hoc in morbo commendatur? *Abrasio capillis, dicit Ill. v. SWIETEN b) tota capitis cutis maxime perspirabilis redditur, quem effectum a capitis racione in phrenitide expectasse videtur* COEL. AU-

e) L. c. p. 67.

a) CELSUS de Medicina L. IV. Cap. 2. ARETÆUS de Cur. morb. acut. L. I. & II. ALEX. TRALL. L. I. Cap. XI. SENNERT Pract. med. L. VI. ed. 1635. in L. I. p. 10. sqq. p. 47. & 117.

b) Comment. in §. 781. Tom. II. p. 613.



REL. c) Nonne stultum foret, si, postquam per abrasionem, quæ nisi initio morbi instituta plurimum difficultatis habet, perspiratio fuerit promota, inunctione oleorum eandem iterum impediremus? Exulent itaque oleosa; & curatio Venæsectionibus largis, sive Arteriotomia, refrigerantibus, diluentibus in & externis (§. XVI), pediluviiis d), epispasticis perficienda.

§. XX.

In Angina inflammatoria, cum hæc sæpissime a suppressa, præsertim in collo transpiratione excitetur, oleosa, quæ transpirationem magis impediunt (Exp. VIII), minime convenire est evidens, licet CELSUS a) *oleum calidum cum spongiis*, & ALEX. TRALL. b) *extrinsecus cervici lanam oleo madidam, aut ceratum ex cera, butyro & adipè conflatum adplicare* suadeant.

Generales indicationes curatoriaæ cum aliis morbis inflammatoriis sunt eadem. HIPPOCRATES c) jam commendavit: *ut spongia aqua calida plena genis & maxillis apponerentur, & ascendens vapor aquæ cum aceto &c. trahatur.*

Præsertim summi usus sunt in hoc & in antecedenti morbo enemata, id quod facile perspicit quicumque magnum vasorum numerum ad intestina migrantem considerat; hæc vasa vero inter tunicas, ex quibus constituuntur intestina, reptant, dum hæc tunicæ relaxantur, minor introitui sanguinis ponitur resistentia, atque ex cognita naturæ lege, quo minor resistentia, eo major affluxus;

c) *Acut. morb. L. I. Cap. 10.*

d) Placuit quidem cl. LUDWIG in *Inst. med. Lips. 1769. §. 296.* frigidiusculam aquam laudare, sed tepidam præferendam esse mihi videtur, ut vasa extremitatum distendantur, & sic sanguis e capite derivetur.

a) L. IV. Cap. 4.

b) L. IV. Cap. 1.

c) *De Morbis L. II. Cap. IX.*





sanguis ad intestina invitatur, ita ut relaxata intestina sanguinem quasi attrahant & a superioribus derivent. Tandem eo in casu, ubi deglutitio plane impossibilis, quoque hac via enemata nutrientia, cremore hordei, oryzae &c. ad vires sustentandas, ingeri possunt, quorum primum exemplum apud Celsum d) reperitur.

§. XXI.

In Peripneumonia, ad sputa promovenda, multi medici oleosa ægrotis propinare solent, & quidem in Gallia oleum amygdalarum cum Decocto pectorali, in Germania vero Eclegmata cum spermate ceti & similibus, syrupis mixta. Sed cum §. XVII hæc oleosa ad locum vexatum non pervenire evicerim, & cum illuc delata cum chylo ultimas arteriarum pulmonalium angustias superare nequeant, id quod in Phtificis sæpissime observamus, qui semper augmentum febris experiuntur, & pessime anguntur, dum novus ex ingestis chylus sanguini miscetur, cum oleosis hic caute mercandum esse putem, præsertim cum a mucilaginosi, & præprimis vapore aquæ (§ XVII), idem effectus expectari possit, de quo ultimo cel. STORCK a): *Non raro magnum, inquit, adducitur ægro levamen, si sæpius spongia aqua calida, aut decocto emolliente madida ori & naribus admoveatur, hauriaturque vapor, inde inflammatio pulmonum non solum facilius resolvitur, sed & sputa citius expediuntur.*

§. XXII.

Nec in Pleuritide internum oleorum usum, ab omni tempore adeo laudatum commendare auderem. Ob-

d) L. III. Cap. XIX.

a) *Præcepta med.* P. I. p. 125.



servationes quidem, circa hanc rem *a*) magnis in arte viris factas, præfracte negare nolo; sed id volo, de quo propriis atque reiteratis observationibus persuasus sum, nunquam veram pleuritidem oleosis fuisse profligatam. Pace tantorum virorum, quorum auctoritas ceteroquin mihi summa est, mea proponam.

Diu jam de effectibus oleosorum in pleuritide meditatatus sum, tamen nunquam mihi contigit, rationem reddere posse. Dubius circa hæc hærebam, & quoties cum aliis hoc de morbo loquendi occasio accessit, his dubia mea fassus sum; non raro, ut de oleorum in pleuritide virtute mira me plane convincant, varios nominatim mihi adtulerunt homines, qui quolibet anno sæpius hoc morbo affligi solent, & solis oleosis felicissime curantur *b*); hos rogavi itaque, ut, quam primum paroxysmo corripiuntur pleuritico, me vocent; & semper quidem omnia pleuritidis inveni symptomata, excepto pulso duro: Ex habitu horum hominum strictiori, ex alvo segniori eis consueta, ex levamine & profligatione morbi post aliquot, & non raro post unicam alvi ejectionem, quæ ut plurimum siccissima erat, non raro colicum dolorem pleuritidem mentiri edoctus, & semper ubi oleosa specificè credebantur pleuritidem profligasse, ibi ex eorum cognita natura con-

*a*) ARETÆUS *de cur. morb. acut.* L. I. Cap. X. ALEX. TRALL. L. VI. Cap. de Pleuritide. RIVER. *Prax. med.* L. VII. Cap. II. commendat indiscriminatim butyri, olei usum in & externum. ETTMÜLLER *Op.* Tom. II. p. 475. Oleum lini ceu singulare specificum commendat ad aliquot uncias. *Fit enim*, inquit, *ut hoc modo & compefcatur inflammatio pleuræ & promoveatur sputum.* SYDENHAM *Op. m.* p. 335. ol. f. lini vel amygdalarum sæpe cum successu assumi dicit. DE HAEN ad uncias quinque vel sex bis terve de die ægrotis bono cum successu propinari asserit in *Rat. med.* Tom. I. p. 25.

*b*) Nam ne mulierculæ quidem ignorant uncias aliquot olei lini pleuritidem citissime profligare, debere.



strictiones intestinorum, obstructionemque sustulisse (Exper. VII.), & inflammationem intestinorum præcavisse, vel præsentem curasse, colligebam. ARETÆUS jam optime notavit c), varias sæpe partes corporis accusari, quibus colon inflammatum accumbit, prout nempe in hac illave parte hujus intestini morbus hæret. Id, quod *Pringlianae observationes* confirmare videntur: *Dolor*, inquit d), *pleuriticus in quavis pectoris parte, antèrius scilicet & posterius, superius, inferius, & lateraliter sentiri potest; imò interdum tam alte descendit, ut viscerum abdominalium inflammationem mentiatur.* Cum itaque dolor pleuriticus colicum simulare valeat; hunc quoque pleuritis speciem præ se ferre, & ita incauto imponere posse, ut assumamus quid vetat? Id facilius quidem continget, si dolor hypochondrium vexet finistrum, ubi colon renem finistrum versus flectitur e). Pagina sequenti pergit cl. PRINGLE: *Cavendum ne dolores hi inflammatorii cum spasmodicis puncturis, musculos respirationis afficientibus, neque cum lateris doloribus a flatibus procreatis confundantur. Dolores hos flatibus, nec non excrementa in parte coli diaphragmati proxima hærentia, plerumque producere solent, gravant respirationem, atque interdum cum parva & crebriori tussi conjuncte*

c) *De caus. & sign. morb. acut. L. II. Cap. VI. Dolor modo ad costas usque ascendit, quando & speciem pleuritis præ se fert, modo sub spurias costas huc & illuc, ita ut jecur aut lien dolore videantur &c.*

d) *De morb. milit. ed. Germ. cit. p. 163. & p. 203. dicit: Certis sub circumstantiis sæpe pleuritidem observari, quæ a flatibus producit, & venæsectionem non fert.*

e) *Nam colon intestinum a dextro inguine incipiens supra & circa dextrum renem sursum assurgit, versus hepar & inde sub costis nothis transversim fertur ad hypochondrium finistrum, cujus magnam partem occupat, nihilominus tamen contorquetur ad renem finistrum in hypochondrio sinistro, indeque porro ad inguen finistrum, ubi tandem ad os sacrum in intestinum rectum devolvitur.*



sunt. Desunt vero & febris & in sanguine crusta sic dicta pleuritis f). Hucusque PRINGLE. Et quamquam ad distinctionem morbi hujus a pleuritide, febris & crustæ inflammatoriae absentiam adduxerit, tamen in morbo longius protracto & hæc tandem adparere quis non videt? Immortal. enim v. SWIETEN g) febris, inquit, fere semper magnos dolores sequitur, etiam in illis morbis, qui ex sua natura minime in febrem vergunt, & alio in loco h) alvi interceptio, quamvis diutius ferri possit, tamen non caret periculo, febrim inde metuendam esse.

§. XXIII.

Dolor qui colon vexat, is juxta sanam theoriam inflammationem pleuræ simulare potest. Dum fœces accumulantur in colo, atque per moram exlucca reddita intestinorum distendunt latera; a distractis fibris nervosis, per vasorum distentorum membranas dispersis, oritur dolor (§. XI.) Hæ fœces porro sive acrimonia sive mole irritant intestinum, fibræ musculares irritatæ sese magis contrahunt, quam in statu naturali; justo major vero contractio earum efficit, ut cavum angustius fiat. Oritur sic novum obstaculum excretioni alvinæ, quia intestinum loco, ubi fœces hærent distentum manet, vicino vero loco contrahitur. Vasa inter tunicas intestini decurrentia extenduntur atque comprimuntur; cavum eorum deletur; sanguis ibi subsistit, oritur itaque obstructio, inflammatio, nova causa doloris, nova causa febris. Cum itaque resistentia

f) Crustam inflammatoriam modo adesse, modo abesse, & nequam certum signum inflammationis esse v. DE HAEN *Rat. med.* P. III. Cap. III.

g) *Comment. ed. cit.* Tom. II, p. 363.

h) *ibid.* c. p. 35.



stentia fiat in vasis inferioribus, sanguis sese in pulmone accumulatur, & quia in hoc affectu a), ita ut in pleuritide, ægrotantes præ acerbitate doloris non audent inspirare; hinc sanguis cordis dextri per pulmonem difficiliter transiens peripneumoniam facit. Inspiratio denique ob acerbum dolorem impedita tussis causa esse potest.

Ex prædictis, & cum Exp. 1<sup>ma</sup>, 6<sup>ta</sup> & 7<sup>ma</sup> collatis, facile intelligitur, oleosa in hac putativa pleuritide optimum & præsentissimum præstare effectum, sed quomodo in vera pleuritide ab oleosis expectari possit, qui explicat, magnus mihi erit Apollo.

§. XXIV.

RIVERIUS, Vir in re medica experientissimus, egregie oleosorum effectus observavit, isque observationi meæ, certius adhuc & indubitatus ut adhæream efficit.

En ipsissima experientissimi hujus præctici verba: *Oleum feminis lini, vel amygdalarum egregie tussim lenit, & dolorem pleuriticum demulcet a): Olei amygdalarum recentis uncia sex exhibita dolorem colicum demulcent, & materiam intestinis adhaerentem per inferiora detrudunt b);* at alio in loco c) monet: *Olea in febre intensiore danda non esse, quia facile inflammantur.* Et ex eo potissimum mihi videtur colligere, olea in pleuritide nequaquam convenire, quod

a) In pleuritide dilatato per inspirationem thorace, distrahuntur partes inflammatae, necessario augetur dolor; sed in inflammatione intestini coli dolor quoque acerbior redditur in respirationis negotio, quando descendente diaphragmate & musculis abdominalibus viscera moventur atque premuntur.

a) *Op. Prax. Med.* L. VII. Cap. II. p. 251.

b) *Op. omn.* L. X. Cap. I. p. 293.

c) l. c. L. XVII. p. 431. Cl. GUARIN quoque in *method. med. Inflamm.* 1774. p. 86. *Oleosa, inquit, vix arriident, cum in debiliore ventriculo facile rancescentia febrim accendant.*



inter adeo multas pleuritidis historias, quas in observatis suis recenset, nullam oleorum ope curatam afferat; nulla enim fit oleorum mentio. Comparatis itaque his omnibus maxima probabilitate concludere fas esse mihi videtur, RIVERIUM in vera pleuritide oleis nunquam usum fuisse. Validam enim febrem, pleuritis nunquam non sibi junctam habet, oleosa hoc in casu mittenda esse, propter rancorem, quem calore contrahunt l. c. monet follicite. Quando vero febris non adeo urgebat, sedesque morbi in colo erat, summo cum fructu olea usurpavit, id quod meæ observationi plane consentaneum est.

§. XXV.

In hepatitide, ubi sanguis sive in ramificationibus arteriæ hepaticæ, sive in ultimis ramis venæ portarum stagnans hæret, & febrem acutam causatur, nequaquam externus & adhuc minus internus oleosorum usus convenire inde patet, quia sanguis ibi jam propter nimiam spissitudinem, quæ non raro ab oleosa ejus parte derivanda, impactus hæret, & hic morbus facillime in putridam febrem abit *a*), oleosa vero huic statui favere Exp. V<sup>ta</sup> docuit.

Enemata diluentia, refrigerantia, ex decocto herbarum emollientium cum nitro & melle, sive ex sero lactis, præsertim hoc in morbo inflammatorio multum ad curam contribuunt, quia tota, qua gaudent virtute, adhuc instructa, venis mesaraicis absorpta directe ad hepar deferuntur.

§. XXVI.

Pulsus durus atque celer, propter auctam resistentiam cordis ad capillaria vasa ventriculi est causa proxima gastrici

---

*a*) Finibus biliosis obstructis facile liquor portarum biliosus in cavam transit. BOERH. de cogn. & morb. §. 950.



tidis. Dolor adest in diro hoc morbo acutissimus, & ob vehementem spasmus assumpta protinus vomitu vix compescendo rejiciuntur: unde optima contra inflammationem militantiæ remedia, succi horæi, mel, nitrum, nequeunt adhiberi, quæ nihilominus tentari possent valde diluta & parca copia una vice ingesta.

Aliis viis itaque allaborandum est summa cum cura, ut obstructio per remedia contractionem nimiam fibrarum vasorum emendantia, atque moles concreta tollatur. Hæ indicationes adimplentur magna a) subita sanguinis missione b), decoctis avenæ, hordei & similibus per os & anum ingestis: Hæ decocta una cum vi humectante simul emolliunt, & laxando partes corporis solidas, atque acrimoniam inviscando & obtundendo, dolorem leniunt. Attamen si acria ingesta causam occasionalem hujus morbi faciunt, tunc vomitus oleo est producendus: hoc est tutissimum remedium, sed nisi statim initio in usum trahatur, auxilium adferre vix potest, quia tunc, erosio vasis, sanguis effusus inter tunicas hærens putrescit, & sic gangræna oritur.

Si gastritis aliam causam occasionalem agnoscit, oleosa vitanda esse, ex rationibus Exp. II. III. & V. deducendis intelligitur. SENNERTUS hoc jam monuit dicens c): *in ventriculi inflammatione vitentur ea, quæ ingrata sunt ventriculo & adversa; abstinendum a lubricantibus & quæ tonum ventriculi laxant.*

Extus balnea & fomenta humectantia sunt applicanda.

a) V. GALENI Comment. in aph. Hipp. Chart. Tom. IX. p. 40. & alio in loco de curand. ratione per venesect. Tom. X. Cap. 12. p. 441. sqq.

b) Minuuntur sic vires, quibus cor in locum obstructum urget, & efficitur, ut nixu contractorum vasorum retroagatur sanguis in majores arterias, & sic resolvatur.

c) Op. L. III. p. 19.



ALEX. TRALL. *d*) hydroleum commendat, & certissime, si oleosa volumus applicare, tunc hydroleum, sive oxyrrhodinum, a parentibus artis nostræ tam laudatum, potius convenit quam linimentum a cl. LUDWIG ex oleo lini, verbalsci & destillato carvi commendatum *e*).

### §. XXVII.

Si canalis intestinalis spasmis adfcitur, Colicam adesse dicimus. Hic acutus intestinorum dolor a congestis atque induratis in intestinis fœcibus & materiæ flatulentæ libero transitu ab his impedito, plerumque originem ducit. Hac ex ratione oleosa pulcherrime in hoc morbo sese gerere jam § XXII. & XXIV, de pleuritide verba faciens, monui. Ab omnibus medicis in colicis affectibus, etiam gravissimis, fuere laudata oleosa *a*). In colica pîctonum, ubi glandulæ muciparæ, sive propter chylum nimis austerum sive propter laturnina, corpori ingesta, fuere obstructæ, & parietibus mucum ad lubricandam viam denegant DE HAËN *b*) oleosa quam maxime laudat. In Ileo, ubi inflammatio intestinorum omnem transitum impedit CELSUS *c*) *totum hominem in calidum oleum demittere, etiam tres aut quatuor cyathos olei per anum injicere* suadet. ARETÆUS oleum bibendum, clysmata cum oleo applicanda jubet. RIVERIUS *d*) enemata ex oleo, inunctiones cum oleosis, atque interne oleum amygdalarum ad uncias duas, & ad uncias sex alio in loco *e*) commen-

*d*) L. VII. Cap. XII.

*e*) l. c. p. 154. quæ etiam de Spiritu Vini camphorato ab eodem auctore eadem pagina laudato, dicta sunt.

*a*) Ex exp. 6. & 7. facile intelligitur bonum effectum oleosa in his morbis debere præstare, modo causa non sit hernia.

*b*) Rat. med. Tom. III. Cap. II. & Tom. X. Cap. I.

*c*) L. IV. Cap. XIII.

*d*) Prax. med. L. X. Cap. II.

*e*) l. c. Cap. I.



dat; laudat quoque balneum ex oleo puro, cui tamen balneum Aquæ tepidæ ex rationibus sæpius dictis præferendum.

§. XXVIII.

In Nephritide ventriculus atque intestina nonnunquam afficiuntur, ob confortium nervorum communium, ad partes, quæ inflammatione tenentur, tendentium. Si vomitus urget, internum oleosorum usum seponendum Exp. 3<sup>ta</sup> commendat, sed folis enematibus oleosis insistendum. Si vomitus abest etiam interne oleosa sunt propinanda, una cum enematibus & aliis medicamentis contra inflammationem militantibus, nam bonum inde obtineri effectum promittunt uno ore omnes medici, ex quibus TULPIUM a) atque BOERH. b) nominare sufficiat.

In stranguria & ischuria ab oleosis, quum ad locum affectum pervenire nequeant \*), nihil boni sperandum c), nisi intestina simul affecta sint, sive inflammatio intestini recti morbum produxerit, quo in casu oleosa, intestino recto injecta, convenire ex Exp. I<sup>ma</sup>, VI<sup>ta</sup> & §. præcedenti perspicitur.

§. XXIX.

A concitato nimis sanguinis motu diu continuato, turbataque hinc ejus mixtione, atque interrupta humorum secretionem oriuntur putridæ febres. Morbi inflammatorii

a) *Monit. med.* XXII.

b) V. ejus *Prælectiones de calculo*, quæ accesserunt Consult. med. ab cel. HALLERO Gætting. 1744. edit.

\*) Si calculus in vesica hærens hos morbos producit, tunc injiciendum est oleum per urethram, ut minuatur frictio calculi contra parietes, & via lubricetur.

c) Non me latet infusum feminis lini his in morbis, & jure quidem laudari, sed hoc semen propter mucilaginem, quam aquæ tradit, non propter oleum, quod ei inest, hunc effectum præstat.



itaque putridæ fiunt, quum, permanente inflammatorio statu, vires corporis consumuntur, & lentor quidam angustissimis sanguinis canaliculis innascitur, qui sensim vi circumeuntis sanguinis abreptus, & in venas translatus in putrorem vertitur, atque humores virtute maligna imbuit. Ill. v. SWIETEN in *Comment. a) per febres acutas*, dixit, totum hepar inundari pingui oleo, per epiploicas venas ibi delato, quod difficillime per ultimas angustias vasorum transfit & pessimas obstructions facere potest. Hac ex ratione cl. HUXHAM b) quoque febres obeforum periculosiores, quam macilentorum declarat. Et HIPPOCR. jam monuit, motu sanguinis per vasa aucto oleosam sanguinis partem attenuari, minus blandam reddi, ita ut novi hinc iterum nascantur stimuli, qui circulationem augent, ex cuius augmento facti erant; dixit enim c): *Incalescente corpore, per hoc aquosus humor, qui feбри est inimicissimus, præcipue exhalat, relinquitar vero pinguis, qui biliosus est, & febris alimentum. Attenuatus hicce biliosus humor efficit ut corpus magis incalescat.* Ex his itaque cum Exp. II<sup>da</sup> & IV<sup>ta</sup> collatis facile patet, oleosa nullius usus esse in morbis putridis d), sed allaborandum esse, ut dissolutio humorum impediatur, viresque fractæ erigantur, id quod roborantibus, præsertim cortice peruviano & acido minerali perficimus.

---

a) Ad §. 916.

b) *Tract. of fevers* p. 13.

c) *De morb.* L. IV. Sect. I. Cap. XIII.

d) Hoc de febribus biliosis quoque valet, nam monente RIVERO *Inst. med.* L. I. Sect. III. Cap. V. *magnum bilis proventum faciunt pinguis & oleosa.* Et cel. TISSOT *de Febre biliosa Laus.* ed. Basil. 1780. p. 54. 599. *Oleorum usum in febribus biliosis reprehendit, cum acrimoniam facile induant, & malum sic augeri possint.* BIANCHI *Histor. hepat.* Part. 3. p. 698. *de febribus biliosis agens: In pluribus observavi post exhibitum in jure amygdalinum oleum, intensiorem in posterum febricitationem.*



In dyssenteria hepatica ALEX. TRALL. e) *Pistacias & amygdalas exulare debere, monet, eo quod facile corrumpantur, & oleosa sint, prompteque in bilem mutantur, ut hinc venter magis crebriusque irriteretur.* Etiam in reliquis Dysenteriae speciebus, usus oleosorum internus, quo plurimi acrimoniam demulcere tentant, rejiciendus est, nam ventriculum in hoc morbo, praecipue in initio, affectum esse, docent appetitus prostratus, nausea, cardialgia, vomitus &c. id quod et PRINGLE quoque observavit; *ob nimias mutationes in primo & secundo morbi stadio ventriculum oleosis male affici, contendens f).*

Acrimonia itaque decocto oryzæ; quæ aliquo modo alvum strictam retinet, observante jam ALEX. TRALL. g), decocto altheæ, cum gummi arabico, post evacuationes debitas factas, est demulcenda. Hæc mucilaginosâ quoque frequentius in alvum danda sunt, ut acre, intestina ad frequentissimas contractiones stimulans, omnemque mucum intestinale detergens, atque expellens, obvolvatur, & abrasus mucus naturalis quasi artificiali restau- retur, & ita sensiles intestinorum parietes defendantur, ad quem scopum etiam pinguis conducunt h.)

§. XXX.

*Oleosorum in morbis chronicis effectus.*

Morbi chronici vel a liquidorum vitis sensim natis, vel a morbis acutis non bene sanatis, ortum ducunt, & quidem in robustis hominibus fere semper ex ultimo fonte, in debilibus vero ex priori promanant. Robustissima tamen corpora, æque ac debilia, chronicis malis afflicta, tandem experiuntur negotium digestionis turbatum. A mœrore enim, ob vires vitales fatiscentes & imminens

---

e) L. VIII. Cap. IV. f) L. c. p. 330. g) L. VIII. Cap. XII.  
h) CELSUS L. IV. Cap. XV. ALEX. TRALL. L. VIII. Cap. VIII.



vitaë periculum longis ægritudinibus tam familiare, digestionem languere, assumpta hinc non sat cito digesta corruptionem induere cum notum sit, quid est miri si in morbis chronicis digestiones vitientur, atque primæ viæ varii generis faburra onerentur? Per se quoque hinc patet, quid de oleosis hisce in morbis censendum sit a), cum ob notam eorum debilitandi indolem & in spontaneam corruptionem proclivitatem malâ antea recensita potius adaugeant, quam levent.

§. XXXI.

Sed ut nihil laudis, oleosis propriæ, demere videar, eorum aliis medicamentis junctorum in morbis chronicis non spernendos effectus paucis memorare visum est.

In sexus sequioris corporibus plethoricis, strictioris habitus, menses non raro supprimuntur, quia orificia vasorum in uterum hiantia sanguini a tergo urgenti nimis resistunt, tunc præmissâ venæsectione inunctio abdominis cum oleosis est instituenda, partes inde laxantur atque dolores tempore mensium fluxus obvenientes leniuntur. In melancholia, ubi sanguis justo spissior est, vasaque simul stricta sunt, & hac ex ratione saponacea indicantur, optimo cum successu his oleosum admiscetur, promovetur ita alvus hypochondriacis semper feignior, & melancholica faburra melius eliminatur.

Hæmorrhoidibus laborantibus sæpius per diem, cum insigni dolorum levamine, aliquot unciaë olei injiciuntur, sed non in majori quantitate, ne intestini recti parietes nimis dilatentur, & hac ex causa spasmi, qui leniri & sopiri debebant, atrociores surgant.

In

---

a) Cel. ZIMMERMANN *oleosa, ubi digestio lesa, ut summe nociva damnat. v. der Erfahr. in der Arzneykunst* Ilter Theil, p. 259.



In Diarrhoea & Lienteria a debilitate orta, oleosa non convenire ex nota eorum debilitandi indole & Exp. III<sup>ia</sup> fat innotescit. Quando veto diarrhoea a stimulo, sive mechanico sive chemico a), excitata est, olea partim stimulum ipsum involvendo ac enervando, partim latera ventriculi atque intestinorum minus sensibilia reddendo egregios quandoque effectus posse producere quid obstat? Sed mos inter plures medicos obtinens, oleosa cum tinctura rhabarbari praescribendi, damnanda est omnino, cum animam rhabarbari cum sale alcali parare soleant pharmacopola, ut per certum tempus conservari possit, & pulchrior evadat tinctura. Haec scilicet miscela, saponis ad instar, abstergentem atque irritantem praestat effectum, intestina itaque ad crebriores dejectiones adhuc stimulantur.

§. XXXII.

Ad leniendum tussim, quae haemoptoen comitatur, & non raro etiam producit, oleosa cum gummi arabico, vitello ovi, mucilagine feminis cydoniorum & similibus, optimum sistunt medicamentum. Haemoptifis enim saepe ortum trahit ex tussi diuturna frequenti, valida, tenerissima pulmonis vascula quassante & rumpente. Efficit vero geminatio causae, ut debilis cicatrix facile solvatur, & ita quidem toties repetendo malum evadit naturale, unde omni artis molimine allaborandum est, ut malum avertatur, prohibeaturque reditus.

Sed in tussi pectorali humida a materia lenta, viscida, pulmonem praenimia debilitate ad expectorandum, eliminandumque jam impotem redditum infarciante, orta,

---

a) Modo exceperis illum a rancore, cui debellando tantum abest ut proficiat oleum, ut potius ignem igni addat.



oleosa non juvant a), quin potius incidentibus atque roborantibus est utendum, ut vasa pulmonis roborentur, sicque decubitus habitualis mucii detrectetur.

In tussi sicca, plethorica, quæ ob suppressas evacuationes consuetas oritur, ea, quæ de tussi, febribus inflammatoriis familiari §. XVII. dixi, applicanda sunt: has tusses affluxus sanguinis ad pulmonem largior producit, quo fit, ut vascula ejus diducta & tumida adjacentes membranas cellulæ bronchiales premant & irritent. Ut curetur, suppressæ evacuationes sunt revocandæ, sanguis itaque ad alia loca derivandus, & vapor aquæ in usum trahendus Laudat quidem hoc in casu Oleum amygdalarum magnus SYDENH. b). Sed non pervenit ad interiora tracheæ, aut si eo perveniret, calore mutatum & acre redditum illuc perveniret, adeoque tussim potius juvaret quam infringeret.

In tussi catarrhali, in qua serum acre, tenue, viam aëream follicitat, & qui fere semper transpirationem impeditam pro sua causa agnoscit, profunt oleosa, quæ tamen semper, ut proclivitas in ranciditatem invertatur, mucilaginositas miscenda; nam ita quoque disponuntur, ut ad secundas vias possint pervenire, & acrimoniam irritantem corrigere. Cel. PRINGLE c) recte: *recentes, inquit, tusses oleosis leniuntur, inveterate vero a relaxante eorum natura adaugentur.*

Ultimum præsertim valet de tussi stomachali atque

a) ALEX. TRALL. L. VII. Cap. II. monet: *bellariorum ex amygdalis, pistaciis, nucleis pineis usum pectore laborantibus non copiosum esse debere; nam etsi abstergere possunt, egre tamen concoquuntur, & propter oleosam ipsorum partem alios cibos in ventriculo corrumpunt.*

b) Op. m. p. 84.

c) L. c. p. 195.



ferina *d*), ubi causa in ventriculo latet, variis cruditatibus scatente, a quarum mole & acrimonia irritatio per nervum intercostalem & per vagum propagatur ad diaphragma & ad pulmones. Hoc in casu oleosa nequaquam conducunt, quin potius morbi causam juvant, dum ventriculi robur (Exp. III.) relaxant, enervant, viscidamque faburram *e*) in eodem gignunt.

Tussis cachectica, acribus & viscidis succis in humorum massa obtinentibus, ad ipsos pulmones delatis, ibidemque irritationem excitantibus, ortum suum debet. Non raro post alias tusses, oleosis, ut fieri solet, tractatis supervenit notante celeberr. TRALLEES *f*), hinc facile intelligitur oleosa non convenire, sed allaborandum esse, ut roborantibus *g*), atque potu blando aquoso, & blando chylo, ex recentibus alimentis elaborato, continuo diluatur ea acrimonia, & diluta e corpore eliminetur per viam urinæ, quæ verum sanguinis lixivium.

§. XXXIII.

Olea vermium spiracula claudendo, & hinc respirationem impediendo necem iis inferre, sat vulgaris medicorum opinio non exiguam Historiæ naturalis ignorantiam prodit. Hujus enim sententiæ patroni, vermes cum

*d*) HUXHAM *Op. phys. med.* Tom. I. p. 99. *Tussim violentam ferinam in stomacho radicatam esse, asserit, nam vix unquam cessat paroxysmus, antequam irritans, pituita tenax vomitu ejiciatur.*

*e*) GAUB. I. c. §. 459.

*f*) *De Opio* P. III. p. 144.

*g*) Vis enim contractilis viscerum chylopoërorum ad bonum producendum sanguinem requiritur: dum firma & valida sunt illa viscera, quæ ingesta debent mutare, ex cibo potuque bonus chylus paratur: dum in corde & arteriis simile robur obtinet, ex illo chylo bonus sanguis nascitur; & qualis sanguis, tales humores, qui ex illo fecernuntur.



infectis videntur confundere, quorum hæc quidem spiraculis gaudent; illorum vero spiracula, in superficie corporis externa hucusque nondum sunt detecta. Præterea, concessis quoque his spiraculis tamen vermes modo antedicto necari nondum sequitur, cum experientia contrarium evincat. Cl. SCHÆFER *a)* hirudines limaces, quæ in ovium hepate sæpius occurrunt, & peculiare morbi genus ibidem producant, in oleo diu vitam protrahere posse asseverat. Cl. MCRAND *b)* hirudines vivos in oleo per plures dies conservari testatur.

Quare cum olea anthelminticorum effectus sæpe intendere constat, alia hujus rei ratio ut adsit necesse est, & mihi quidem hic effectus ex eorum lubricandi facultate, optime deduci posse videtur. Cum enim ad intestina delata, & eorum & vermium latera lubrica politaque reddendo impediunt, quo minus vermes intestinis, & fœcibus ibidem accumulatis adhærere possint, ac necessario, aucto per cathartica motu peristaltico, eorum e corpore egressum faciunt, promovent, atque accelerant.

§. XXXIV.

Ad horrenda mala avertenda, quæ Viperæ morsus inferre solet, etiam frictiones cum oleosis, adhibito simul interno eorum usu in *Philosoph. Transact.* *a)* maxime commendantur; & Ill. POTEAU *b)* multis testimoniis egregios oleorum ibi effectus probare contendit. Ast cum Viri illustres *c)*, GEOFROI & HUNAUD, se hos effectus non vidisse testentur; cumque ob mali vehementiam, & citissimam propagationem periculum in mora sit, ut soli oleo,

---

*a)* *Abhandlung v. Insekten* I. Tom. p. 15.

*b)* *Mem. de l'Acad. Roy. d. Sc.* l'année 1739. p. 196.

*c)* *Phil. Transact.* N. 443. p. 312. sqq.

*b)* *Melange de Chirurgie* Lyon 1760. p. 141. sqq.

*c)* *Memoires de l'Acad. Royal. d. Sc.* l'année 1737.



ni mox suos exferat effectus, fidamus, sed paulo post alcali volatile *d*) in usum trahamus, humana videtur suadere prudentia.

§. XXXV.

Abdominis inunctionem cum oleo in Hydropē commendant viri in arte celebres *a*). Enascitur vero hic morbus, quoties plus aquosi laticis in cavitatem quandam corporis destluit, ex arteriarum finibus, quam bibula venularum ostiola reorbent. Una ex præcipuis causis hanc humorum accumulationem producens in fibrarum debilitate & laxitate est posita *b*). Etsi viscerum obstructio hydropis causa fuerit, eam tamen humorum extravasatorum accumulationem debilitatem corpori inducere debere facile est intelligere. Cui igitur bono oleum, quod ex sua natura magis adhuc relaxat? Clariss. MEDICUS *c*) involvit, inquit, *moleculas extravasati liquidi acres, ne sibi met ipsis exitum impendant; spasmos tollit & vasorum absorbentium orificia spasmodice contracta reserat.* Me ejusdem sententiæ cum clarissimo Medico non esse profiteor: & si oleum olivarum frictione corpori applicatum effectum quendam salutarem possit edere, non aliterquam vasa cutis absorbentia obstruendo præstare id posse mihi videtur; sed cum & vasa exhalantia simul obturet, utilitatis id nullius esse posse quis non videt? *Evacandus potius est Judor,*

*d*) V. Précis de chirurgie pratique I. P. p. 1. 6. fqq.

*a*) OLIVER in Philosoph. transact. Vol. XLIX. P. 1 p. 46. fqq. STOERK Anus medic. I. p. 90. MEDICUS Beobachtungen aus der Arzneywiss. II Band.

*b*) HUXHAM Op. phys. med. Tom. II. p. 37. nimia vasorum laxitas illos pronos reddit ad superpondium creandum & leucophlegmatiam aut hydropem gignit.

*c*) l. c. p. 575.





uti CELSUS vult, d), non per exercitationem tantum, sed etiam in arena calida &c. Cum aliis itaque clarissimis viris RIVERIO e) SYDENHAMO f), MONRO g), SAVARY h) oleum inunctione applicatum inefficax declarare nullus amplius dubito.

§. XXXVI.

Absit tamen, ut clariss. OLIVERI, STORCKII, atque MEDICI observationes tanquam falsas reputem; gravissimorum virorum testimonia illibata & intacta relinquam: ast solas frictiones hic solatium adtulisse ego contendo. Et hæc mea opinio majorem adhuc veri speciem induit, si ægroti historiam in cel. MEDICI observationibus Tom. II. dissertatione IV<sup>ta</sup>, §. 2<sup>do</sup> accuratius perpendam. Aeger scilicet ex vehementi febre biliosa in hydropem incidebat: Cl. MEDICUS ordinabat antea roborantia cum diætâ exquisita, quæ vero non observabatur; ad aquas immnuendas dabat ipsi squillam; hac vero inefficaci deprehensa, cathartica in auxilium vocavit, quæ quidem copiose alvum ducentia, tumori tamen immnuendo paria non erant. Tandem ter de die per mediam horam frictiones cum oleo olivarum instituebantur, quas alvus laxa &

---

d) De medicina L. III. Cap. 21.

e) Prax. med. L. XI. Cap. VI. de hydropse agens inunctionum mentionem quidem facit, sed addit: *post linimenta, vel etiam eis omissis* &c. & de hydropicis, quorum historias in Centurias quatuor suarum Curationum tradidit, nunquam de inunctione verba fecit.

f) l. c. p. 635. *Topica*, inquit, *quantum ego observare potui, nihil egregii in hoc morbo præstiterunt unquam. --- Neque vi- deo, quo pacto aquæ possint discuti.*

g) *Tract. de Hydropse* ed. germ. Lips. 1777. §. 23. p. 39. sq. & p. 53.

h) In additament. ad §. 23. cit. *Tract. MONR.*



tumoris imminutio excipiebant. CI MEDICUS hanc Hidropis speciem a debilitate derivat; mihi vero hepatis obstructio præcipua ejus causa fuisse videtur, quæ per cathartica, quorum vis frictionibus intendebatur *a)*, sublata fuit. Frictiones sine oleo forte ejusdem erunt efficaciam & vasa præterea exhalantia referabunt *b)*. Frictio enim comprimendo vasorum latera idem præstat, quod propria vasorum contractilitas fecisset, & hujus efficaciam auget. Sarcit itaque damna torpidioris motus vitalis, & caloris interni; humores stagnantes propellit, urget eos extrorsum, ad locum transpirationis, & halitus perspirabilis egressum promovet. Id quod cl. MONRO sagax perspexit, dicens *c)*: *frictiones pectinis setacei vel panni asperioris ope non viscosum tantum fines vasorum cutaneorum obstruens auferunt, sed humores quoque ad hæc vasa invitando transpirationem augent, humores impactos resolvunt, & toto in corpore sanguinis circulum liberiores reddunt.*

*a)* Conf. ill. v. SWIETEN Comment. ad §. 54.

*b)* Ad quod artis nostræ Parentes adeo attendebant. CELSUS enim L. III. Cap. 21. p. 177. ed. HALL. *quotidie, inquit, ter quaterve opus est uti frictione vehementi, cum oleo & calefacientibus. Oleum hic adjecit, solummodo, uti mihi videtur, ut, quemadmodum in aliis machinis, frictionis effectus in cute necessario alias contingentes, excoarationem, inflammationem, gangrænam præcaveat. ALEX. TRALL. L. IX. Cap. III.: Perfricatio, ait, eis adhiberi debet potissimum, ut cutaneos corporis meatus rarefaciat, humores discutiat. AETIUS Libr. medic. Serm. X. c. 28. p. 244. primo quidem molliter, sensum durius, tandem linteis asperioribus fricari jubet.*

*c)* l. c. p. 39.





humores in unum coalescent... Cuiusmodi sunt...  
quod est in... humores in unum coalescent...  
quod est in... humores in unum coalescent...  
quod est in... humores in unum coalescent...  
quod est in... humores in unum coalescent...

n) Causa III. a. dicitur...  
Causa III. a. dicitur... Causa III. a. dicitur...  
Causa III. a. dicitur... Causa III. a. dicitur...  
Causa III. a. dicitur... Causa III. a. dicitur...  
Causa III. a. dicitur... Causa III. a. dicitur...





ULB Halle

008 565 791

3









DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
OLEORUM UNGUINOSORUM  
U S U

M O R B O

GRATIOS.

PR O  
SUMMOS IN  
ET PRI

DIE VI.

JOANNES

excudebat JOH. H

